# COMMUNIA DE SANCTIS

Quo facilius hoc Missale adhibeatur, præsertim in memoriis Beatorum quæ formularia propria non habent, hic inveniuntur elementa quædam ex Communibus Sanctorum præter collectas.

Hi textus e Missali Romano (pp. **678-725**) deprompti sunt, etsi numerus sectionum servatus non fuit.

# COMMUNE MARTYRUM

## 1. Pro pluribus martyribus, extra tempus paschale

Ant. ad introitum

**Gaudent in cælis ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti; et quia pro eius amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.**

Collecta propria.

Super oblata

**Súscipe, sancte Pater, múnera**
**quæ in sanctórum mártyrum commemoratióne deférimus,**
**et nobis fámulis tuis concéde,**
**ut in confessióne tui nóminis inveníri stábiles mereámur.**
**Per Christum.**

Ant. ad communionem — Cf. Lc 22, 28-30

**Vos estis qui permansístis mecum in tentatiónibus meis,**
**et ego dispóno vobis regnum, dicit Dóminus,**
**ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo.**

Post communionem

**Deus, qui crucis mystérium**
**in sanctis martýribus tuis mirabíliter illustrásti,**
**concéde propítius ut, ex hoc sacrifício roboráti,**
**Christo fidéliter hæreámus,**
**et in Ecclésia ad salútem ómnium operémur.**
**Per Christum.**

## 2. Pro pluribus martyribus, extra tempus paschale

Ant. ad introitum — Ps 36, 39

Salus iustórum a Dómino, et protéctor eórum est in témpore tribulatiónis.

Collecta propria.

Super oblata

Súscipe, quǽsumus, Dómine, múnera pópuli tui
pro mártyrum tuórum passiónibus dicáta sanctórum,
et, quæ beátis N. et N.
in persecutióne fortitúdinem ministrárunt,
nobis quoque præbeant inter advérsa constántiam.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Mc 8, 35

Qui perdíderit ánimam suam propter me et Evangélium, salvam fáciet eam, dicit Dóminus.

Post communionem

Consérva in nobis, Dómine, munus tuum,
et quod, te donánte,
pro festivitáte beatórum mártyrum N. et N. percépimus,
et salútem nobis præstet et pacem.
Per Christum.

## 3. Pro uno martyre, extra tempus paschale

Ant. ad introitum

Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

Collecta propria.

Super oblata

Obláta múnera, quǽsumus, Dómine,
tua benedictióne sanctífica,
quæ, te donánte, nos illa flamma tuæ dilectiónis accéndat,
per quam sanctus N. torménta sui córporis univérsa devícit.
Per Christum.

Vel:

Accépta tibi sint, quǽsumus, Dómine, múnera,
quæ in commemoratióne beáti mártyris tui N. deférimus,
ut ea maiestáti tuæ sint plácita,
sicut illíus effúsio sánguinis apud te éxstitit pretiósa.
Per Christum.

Ant. ad communionem Mt 16, 24

Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum,
et tollat crucem suam, et sequátur me, dicit Dóminus.

Post communionem

Præstent nobis, quǽsumus, Dómine,
sacra mysteria quæ súmpsimus
eam ánimi fortitúdinem,
quæ beátum N. mártyrem tuum
réddidit in tuo servítio fidélem et in passióne victórem.
Per Christum.

## 4. Pro uno martyre, extra tempus paschale

Ant. ad introitum

Hic est vere martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit, qui minas iúdicum non tímuit, sed ad cæléstia regna pervénit.

Collecta propria.

Super oblata

Clementíssime Deus,
múnera hæc tua benedictióne perfúnde
et nos in fide confírma,
quam beátus N. effúso sánguine asséruit.
Per Christum.

Vel:

Hóstias tibi, Dómine,
pro commemoratióne beáti mártyris tui N. offérimus,
quem a tui córporis unitáte nulla tentátio separávit.
Per Christum.

Ant. ad communionem Io 15, 5

Ego sum vitis vera et vos pálmites, dicit Dóminus;
qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum.

Post communionem

Sacris, Dómine, recreáti mystériis, quǽsumus,
ut, miram beáti N. constántiam æmulántes,
patiéntiæ prǽmium cónsequi mereámur ætérnum.
Per Christum.

### 5. Pro pluribus martyribus, tempore paschali

Ant. ad introitum Cf. Mt 25, 34

Veníte, benedícti Patris mei, percípite regnum, quod vobis parátum est ab orígine mundi, allelúia.

Collecta propria.

Super oblata

In tuórum, Dómine, pretiósa morte iustórum,
sacrifícium illud offérimus,
de quo martýrium sumpsit omne princípium.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ap 2, 7

**Vincénti dabo édere de ligno vitæ,**
**quod est in paradíso Dei mei, allelúia.**

Post communionem

**Beatórum mártyrum N. et N. cæléstem victóriam**
**divíno convívio celebrántes,**
**te, Dómine, depóscimus,**
**ut panem vitæ hic edéntes des víncere,**
**et vincéntes des édere de ligno vitæ in paradíso.**
**Per Christum.**

## 6. Pro pluribus martyribus, tempore paschali

Ant. ad introitum Cf. Ap 12, 11

**Isti sunt Sancti qui vicérunt propter sánguinem Agni, et non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem; proptérea cum Christo regnant in ætérnum, allelúia.**

Collecta propria.

Super oblata

**Præséntia múnera, quæsumus, Dómine,**
**ita seréna pietáte intuére,**
**ut Sancti Spíritus perfundántur benedictióne,**
**et in nostris córdibus eam dilectiónem válidam operéntur,**
**per quam sancti mártyres N. et N.**
**ómnia córporis torménta devicérunt.**
**Per Christum.**

Ant. ad communionem 2 Tim 2, 11-12

**Si commórtui sumus cum Christo, et convivémus;**
**si sustinébimus, et conregnábimus, allelúia.**

Post communionem

Unius panis alimónia refécti,
in commemoratióne beatórum mártyrum N. et N.
supplíciter deprecámur,
ut nos in tua iúgiter caritáte confírmes,
et in novitáte vitæ concédas ambuláre.
Per Christum.

# COMMUNE PASTORUM

## 1. Pro papis

Ant. ad introitum

**Elégit eum Dóminus sibi in sacerdótem magnum, et apériens thesáurum suum abundáre eum fecit ómnibus bonis.**

Collecta propria.

Super oblata

**Laudis tibi, Dómine, hóstias offérimus**
**in tuórum commemoratióne Sanctórum,**
**quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus et futúris.**
**Per Christum.**

Ant. ad communionem — Cf. Io 10, 11

**Pastor bonus ánimam suam pósuit pro óvibus suis.**

Post communionem

**Sacraménta quæ súmpsimus, Dómine Deus noster,**
**in nobis fóveant caritátis ardórem,**
**quo beátus N. veheménter accénsus**
**pro Ecclésia tua se iúgiter impendébat.**
**Per Christum.**

## 2. Pro episcopis

Ant. ad introitum — Cf. Ez 34, 11. 23-24

**Visitábo oves meas, dicit Dóminus, et suscitábo pastórem qui pascat eas: ego autem Dóminus ero eis in Deum.**

Collecta propria.

Super oblata

Hóstias, quæsumus, Domine,
quas in festivitáte beáti N.
sacris altáribus exhibémus, propítius réspice,
ut, nobis indulgéntiam largiéndo,
tuo nómini dent honorém.
Per Christum.

Ant. ad communionem Io 15, 16

Non vos me elegistis, dicit Dóminus;
sed ego elégi vos, et pósui vos ut eátis, et fructum afferátis,
et fructus vester máneat.

Post communionem

Refécti sacris mystériis, Dómine, humíliter deprecámur,
ut, beáti N. exémplo, studeámus confitéri quod crédidit,
et ópere exercére quod dócuit.
Per Christum.

## 3. Pro episcopis

Ant. ad introitum 1 Sam 2, 35

Suscitábo mihi sacerdótem fidélem, qui iuxta cor meum et ánimam meam fáciet, dicit Dóminus.

Collecta propria.

Super oblata

Súscipe, Dómine, hæc múnera pópuli tui,
quæ tibi in beáti N. festivitáte offérimus,
ut per éadem, sicut confídimus,
tuæ pietátis sentiámus auxílium.
Per Christum.

Ant. ad communionem Io 10, 10

Ego veni ut vitam hábeant,
et abundántius hábeant, dicit Dóminus.

Post communionem

Córporis sacri et pretiósi Sánguinis alimónia repléti,
quǽsumus, Dómine Deus noster,
ut, quod pia devotióne gérimus, certa redemptióne capiámus.
Per Christum.

## 4. Pro pastoribus

Ant. ad introitum Lc 4, 18

Spíritus Dómini super me: propter quod unxit me, evangelizáre paupéribus misit me, sanáre contrítos corde.

Collecta propria.

Super oblata

Maiestátem tuam supplíciter implorámus, omnípotens Deus,
ut, sicut glóriam divínæ poténtiæ
múnera pro Sanctis obláta testántur,
sic nobis effféctum tuæ salvatiónis impéndant.
Per Christum.

Ant. ad communionem Mt 28, 20

Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus,
usque ad consummatiónem sǽculi, dicit Dóminus.

Post communionem

Sumpta mystéria, quǽsumus, Dómine,
ætérnis nos præparent gáudiis,

quæ beátus N. fidéli dispensatióne proméruit.
Per Christum.

Vel:

Refectióne sacra enutrítos, fac nos, omnípotens Deus,
exémpla beáti N. iúgiter sequéntes,
te pérpeti devotióne cólere
et indeféssa ómnibus caritáte profícere.
Per Christum.

## 5. Pro pastoribus

Ant. ad introitum Ier 3, 15

Dabo vobis pastóres iuxta cor meum, et pascent vos sciéntia et doctrína.

Vel: Dan 3, 84. 87

Sacérdotes Dei, benedícite Dóminum; sancti et húmiles corde, laudáte Deum.

Collecta propria.

Super oblata

Súscipe, quǽsumus, Dómine, hoc sacrifícium pópuli tui,
ut, quod tibi in honóre beatórum N. et N. offértur ad glóriam,
nobis tríbuas ad salútem perpétuam.
Per Christum.

Ant. ad communionem Mt 20, 28

Fílius hóminis non venit ministrári, sed ministráre,
et dare ánimam suam redemptiónem pro multis.

Post communionem

**Súmpsimus, Dómine, sanctórum tuórum** N. **et** N.
**memóriam celebrántes, sacraménta cæléstia;**
**præsta, quǽsumus, ut, quod temporáliter gérimus,**
**ætérnis gáudiis consequámur.**
**Per Christum.**

## 6. Pro presbyteris

Ant. ad introitum Ps 95, 3-4

**Annuntiáte inter gentes glóriam eius, in ómnibus pópulis mirabília eius, quóniam magnus Dóminus et laudábilis nimis.**

Collecta propria.

Super oblata

**Beáti** N. **memóriam recenséntes, quǽsumus, Dómine,**
**ut his munéribus tibi oblátis benedictiónem effúndas de cælis,**
**quo, ex eis suméntes, et ómnibus careámus culpis**
**et cæléstibus repleámur edúliis.**
**Per Christum.**

Ant. ad communionem Cf. Lc 10, 1. 9

**Misit Dóminus discípulos, qui nuntiárent civitátibus:**
**Appropinquávit in vos regnum Dei.**

Post communionem

**Sancta tua nos, Dómine, sumpta vivíficent,**
**ut, qui beáti** N. **commemoratióne gaudémus,**
**eius quóque apostólicæ virtútis proficiámus exémplo.**
**Per Christum.**

# COMMUNE VIRGINUM

## 1

Ant. ad introitum

Hæc est virgo sápiens, et una de número prudéntum, quæ óbviam Christo cum lámpade accénsa éxiit.

Collecta propria.

Super oblata

In beáta vírgine N. te, Dómine, mirábilem prædicántes
maiestátem tuam supplíciter exorámus,
ut, sicut eius tibi grata sunt mérita,
sic nostræ servitútis accépta reddantur offícia.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Mt 25, 6

Ecce Sponsus venit: exíte óbviam Christo Dómino.

Post communionem

Divíni múneris participatióne reflécti,
quǽsumus, Dómine Deus noster,
ut, exémplo beátæ N.,
mortificatiónem Iesu in córpore nostro circumferéntes,
tibi soli adhærére studeámus.
Per Christum.

## 2

Ant. ad introitum

Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Collecta propria.

Super oblata

Súscipe, Dómine, obséquium humilitátis nostræ,
quod tibi in commemoratióne beátæ N. vírginis exhibémus,
et nos, per immaculátam hóstiam,
da iúgiter in tuo conspéctu pio sanctóque amóre flagráre.
Per Christum.

Ant. ad communionem Cf. Lc 10, 42

Optimam partem elégit sibi virgo prudens,
quæ non auferétur ab ea.

Post communionem

Cælésti pane refécti,
humíliter deprecámur cleméntiam tuam, Dómine,
ut, qui de beátæ N. commemoratióne gaudémus,
véniam delictórum, sospitátem córporum,
gratiámque et glóriam ætérnam consequámur animárum.
Per Christum.

**3**

Ant. ad introitum Ps 148, 12-14

Vírgines laudent nomen Dómini, quia exaltátum est nomen eius solíus; conféssio eius super cælum et terram.

Collecta propria.

Super oblata

In sanctárum vírginum N. et N. commemoratióne
te, Dómine, mirábilem prædicántes,
múnera votíva deférimus;
præsta, quǽsumus, ut, sicut eárum tibi grata sunt mérita,
sic nostræ servitútis accépta reddántur offícia.
Per Christum.

Ant. ad communionem Mt 25, 10

**Venit Sponsus, et vírgines, quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias.**

Vel: Io 14, 21 et 23

**Qui díligit me, diligétur a Patre meo, et ad eum veniémus, et mansiónem apud eum faciémus.**

Post communionem

**Sumpta mystéria, quǽsumus, Dómine,**
**in hac festivitáte beatárum vírginum** N. et N.,
**íncitent nos iúgiter et illústrent,**
**ut digne advéntum Fílii tui præstolémur,**
**et ad supérnas eius núptias admittámur.**
**Per Christum.**

# COMMUNE SANCTORUM ET SANCTARUM

Missæ quæ sequuntur, si pro determinato Sanctorum ordine inscribuntur, pro eius ordinis Sanctis adhibentur; quæ vero nulla inscriptione signantur, pro omnibus Sanctorum ordinibus adhiberi possunt.

## 1

Ant. ad introitum Ps 144, 10-11

**Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua, et Sancti tui benedícant tibi: glóriam regni tui dicent, et poténtiam tuam loquéntur.**

Collecta propria.

Super oblata

**Preces nostras, Dómine, quǽsumus, propitiátus admítte,
et, ut digne tuis famulémur altáribus,
Sanctórum tuórum nos intercessióne custódi.
Per Christum.**

Ant. ad communionem Ps 67, 4

**Iusti epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei,
et delecténtur in lætítia.**

Vel: Lc 12, 37

**Beáti servi illi, quos, cum vénerit Dóminus,
invénerit vigilántes; amen dico vobis, quod præcínget se,
et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis.**

Post communionem

**Omnípotens sempitérne Deus,
Pater totíus consolatiónis et pacis,
præsta famíliæ tuæ in celebritáte Sanctórum**

ad laudem tui nóminis congregátæ,
ut, per Unigéniti tui sumpta mystéria,
pignus accípiat redemptionis ætérnæ.
Per Christum.

**2**

Ant. ad introitum — Ps 63, 11

Lætábitur iustus in Dómino, et sperábit in eo; et laudabúntur omnes recti corde.

Collecta propria.

Super oblata

Præsta nobis, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut nostræ humilitátis oblátio
et pro tuórum tibi grata sit honóre Sanctórum,
et nos córpore páriter et mente puríficet.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Io 12, 26

Qui mihi minístrat, me sequátur, dicit Dóminus:
et ubi ego sum, illic et minister meus erit.

Post communionem

In natalíciis Sanctórum quǽsumus, Dómine,
ut, sacraménti múnere vegetáti,
bonis, quibus per tuam grátiam nunc fovémur,
perfruámur ætérnis.
Per Christum.

## 3. Pro religiosis

Ant. ad introitum Ps 15, 5-6

Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei; tu es qui restítues hereditátem meam mihi. Funes cecidérunt mihi in præcláris; étenim heréditas mea præclára est mihi.

Collecta propria.

Super oblata

Clementíssime Deus, qui, vétere hómine consúmpto,
novum secúndum te in beáto N. creáre dignátus es,
concéde propítius ut nos páriter renováti
hanc placatiónis hóstiam tibi acceptábilem offerámus.
Per Christum.

Ant. ad communionem Cf. Mt 19, 27-29

Amen dico vobis quod vos qui reliquístis ómnia,
et secúti estis me, céntuplum accipiétis,
et vitam ætérnam possidébitis.

Post communionem

Quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, qui huius sacramenti munímur virtúte,
exémplo beáti N. discámus te super ómnia semper inquírere,
et novi hóminis formam in hoc sǽculo portáre.
Per Christum.

## 4. Pro religiosis

Ant. ad introitum Cf. Ps 23, 5-6

Isti sunt sancti, qui accepérunt benedictiónem a Dómino et misericórdiam a Deo salutári suo, quia hæc est generátio quæréntium Dóminum.

Collecta propria.

Super oblata

Accépta tibi sint, quǽsumus, Dómine,
múnera nostræ servitútis
pro beáti N. commemoratióne altári tuo propósita,
et concéde ut, a terrénis impediméntis absolúti,
te solo dívites efficiámur.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 33, 9

Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus:
beátus vir, qui sperat in eo.

Post communionem

Per huius virtútem sacraménti, quǽsumus, Dómine,
beáti N. exémplo, deduc nos iúgiter in tua dilectióne,
et opus bonum quod cœpísti in nobis
pérfice usque in diem Christi Iesu.
Qui vivit.

## 5. Pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt

Ant. ad introitum Mt 25, 34. 36. 40

Veníte, benedícti Patris mei, dicit Dóminus: infírmus eram, et visitástis me. Amen dico vobis, quámdiu fecístis uni ex his frátribus meis mínimis, mihi fecístis.

Collecta propria.

Super oblata

Súscipe, Dómine, múnera pópuli tui, et præsta,
ut, qui Fílii tui imménsæ caritátis opus recólimus,
in tui et próximi dilectióne,
Sanctórum tuórum exémplo, confirmémur.
Per Christum.

Ant. ad communionem Io 15, 13

Maiórem hac dilectiónem nemo habet,
ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis.

Vel: Io 13, 35

In hoc cognóscent omnes quia discípuli mei estis,
si dilectiónem habuéritis ad ínvicem, dicit Dóminus.

Post communionem

Sacris mystériis reféctos,
da nos, quǽsumus, Dómine, beáti N. exémpla sectári,
qui te indeféssa pietáte cóluit,
et pópulo tuo imménsa prófuit caritáte.
Per Christum.

Vel:

Sacraménti salutaris, Dómine, pasti delíciis,
tuam súpplices deprecámur pietátem,
ut, sancti N. caritátis imitatóres effécti,
consórtes simus et glóriæ.
Per Christum.

## 6. Pro sanctis mulieribus

Ant. ad introitum Cf. Prov 31, 30. 28

Múlier timens Dóminum ipsa laudábitur. Fílii eius beatíssimam prædicavérunt, vir eius laudávit eam.

Collecta propria.

Super oblata

Hóstias tibi, Dómine,
pro sanctæ N. commemoratióne deférimus,
supplíciter deprecántes,
ut indulgéntiam nobis páriter cónferant et salútem.
Per Christum.

Ant. ad communionem Mt 13, 45-46

Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri,
quærénti bonas margarítas;
invénta autem una pretiósa margaríta,
dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Post communionem

Divíni operátio sacraménti, omnípotens Deus,
in hac festivitáte beátæ N. illúminet nos páriter et inflámmet,
ut et sanctis iúgiter desidériis ferveámus,
et bonis opéribus abundémus.
Per Christum.

## 7. Pro missionariis

Ant. ad introitum Is 52, 7

Quam pulchri super montes pedes annuntiántis et prædicántis pacem, annuntiántis bonum, prædicántis salútem!

Collecta propria.

Super oblata

Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris,
et ab omni culpa líberos esse concéde,
ut, purificánte nos grátia tua,
iísdem quibus famulámur mystériis emundémur.
Per Christum.

Ant. ad communionem Mc 16, 15; Mt 28, 20

Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium:
ego vobíscum sum ómnibus diébus, dicit Dóminus.

Vel: Io 15, 4-5

Manéte in me, et ego in vobis, dicit Dóminus.
Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum.

Post communionem

**Sacraménta quæ súmpsimus, Dómine Deus noster,**
**illam nobis fidem innútriant,**
**quam et apostólica dócuit prædicátio,**
**et beáti N. sollicitúdo custodívit.**
**Per Christum.**